

1234, abril, 14

Testament de Dolça de Juia, que llega a Sant Daniel dos masos, situats respectivament a Sant Pere Pescador i Vilopriu.

ASD núm. 105, perg. orig., 355 x 147 mm.

In Christi nomine, ego Dulcia de Juiano, in meo bono sensu et in mea plena memoria facio meum testamentum, in quo eligo meos manumissores uidelicet Gerallum de Seliia et Bernardum de Uicco et Arnallum clericum capellanum Sancti Danielis, ita quod si me mori contigerit antequam alium testamentum mihi conderè liceat, ipsi distribuant omnes res meas mobiles et immobiles sicut hic illis iniunxero. Primum dimitto Sancte Marie sedis Gerunde .X. solidos, Sancto Felici .VII. solidos, Sancto Martina .V. solidos, Sancto Petro .V. solidos, unicuique aliarum ecclesiarum Gerunde vinos solidos, pro missis canendis in monasterio Sancti Danielis .L. solidos, pro elemosina .L. solidos. Dimitto centum morabatinos .de quibus ematur honor qui detur et assignetur in adiutorium · uestiarii monialium monasterii Sancti Danielis. Dimitto infirmarie Sancti Danielis .L. morabatinos et isti .CL. aurei soluantur de illis .cec. aureis quos atuli in dotem Raimundo de Juiano condam marito meo. Dimitto monasterio Sancti Danielis .CL. morabatinos qui remanent de supradictis trecentis aureis, et dimitto corpus meum ad sepeliendum in cimiterio eiusdem monasterii, et dimitto eidem monasterio Sancti Danielis mansum meum quem habeo apud Sanctum Petrum Piscatorem et terras et campos quos ibídem habeo, et mansum quem habeo apud Uilaupriu et quicquid eciam habeo in parrochia Sancti Petri Piscatoris et de Uilaupriu cum mansis et bornis et hominibus et feminis dictorum mansorum et cum omnium rerum dominiis siue exaccionibus pro alodio francho ad omnem uoluntatem dicti monasterii faciendam, et dimitto eidem monasterio similiter mulam meam et omnia alia mea bona mobilia et immobilia et iura et uoces ad uoluntatem dicti monasterii faciendam, et quod domina abbatissa soluat supradictas lexias et exigat et recuperet illos .ccc. aureos quos atuli Raimundo de Juiano tempore nuptiarum mearum et teneat et possideat honores et iura pro dictis .ccc. aureis mihi obligata et exactis et recuperatis dictis .ccc. aureis distribuat eos sicut superius est expressum. Supradicta omnia que dimitto monasterio Sancti Danielis dimitto ob remedium anime mee et parentum meorum.

Actum est hoc .XVIII. kalendas madii anno Domini .MCCXXX. quarto.

Sig+num Dulcie de Juiano, qui hoc testamentum firmo firmarique rogo. Sig+num Geralli de Seliia. Sig+num Raimundí de Furchis. Sig+num Guilielmi Ioffre. Sig+num Arnalli Sancti Danielis. (s. *man.*). Ego Arnallus presbiter et capellanus Sancti Danielis, subscribo*. (s. *man.*) Petrus presbiter, qui hac firmo.

(s. *man.*) · Raimundus de Caciano, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii cum litteris suprascriptis in .VIII. linea et in XXIII. die et anno quo supra. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 224-225